

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIII - N. 2

2001

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 2

Semestrale

DECEMBRI 2001

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae Motu Proprio datae quibus Normae de gravioribus delictis	139
Allocutio ad eos qui Conventu Plenario Cong. pro Clericis partem habuerunt	141
Allocutio ad eos qui in Symposio « Ius Ecclesiarum – Vehiculum Caritatis » partem habuerunt	145

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	148
RELATIONES CUM IURIS CANONICIS STUDIOIS	150
Oratio Exc.mi Praesidis in coetu Synodi Episcoporum	151
Oratio Exc.mi Praesidis in contextu Symposii « Ius Ecclesiarum – Vehiculum Caritatis ».	154

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM	
Responsum ad dubium propositum: utrum Episcopus dioecesanus sacerdotes eiusdem dioecesis obligatione adstringere possit ad admittendas mulieres vel puellas in servitium altaris necne	162
CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Responsum ad propositum dubium de validitate Baptismatis apud communitatem «The Church of Jesus Christ of Latter-day Saints»	162
Epistula de delictis gravioribus reservatis Congregationi pro Doctrina Fidei.	163
PONTIFICIA COMMISSIO DE BONIS CULTURALIBUS ECCLESIAE	
Ex «Lettera circolare sulla funzione dei musei ecclesiastici»	168

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VIII)	190
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio IX)	203
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio X)	226
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XI)	250
NOTITIAE	279
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	281

COETUS STUDIORUM
"DE MATRIMONIO"

Sessio XI^a

(dd. 9-14 novembris 1970 habita)

Diebus 9-14 novembris 1970, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut sodales Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Schneider, Lourdusamy et Bank; et Ill.mi ac Rev.mi Anné, Fagiolo, Damizia, Quinn, Garcia Barberena, Chen, Cremin, Flatten, Che, Huizing et Leclerc et Ill.mus Giacchi.

Praeterea ad hanc Sessionem invitati fuerunt Exc.mi Iosephus Casoria, Julianus Vaivods et Iosephus Matulaitis Labukas.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev.mus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Primae et sextae adunationibus praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis; caeteris adunationibus praefuit Rev.mus P. Bidagor. Rev.mus P. Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.

In praesenti Sessione examinata est quaestio de forma canonica matrimonii.

Sequentes Consultores votum de hac quaestione paraverunt: Exc.mi Schneider, Lourdusamy et Bank et Rev.mi Fagiolo, Chen, Quinn, Barberena, Cremin, Che, et Leclerc.


Rev.mus Relator super Vota Consultorum relationem apparavit et schema canonum redegit.

Adunatio I^a

die 9 novembris – mane habita

Em.mus Praeses salutem dicit omnibus Consultoribus et singulariter Exc.mis Vaivods et Matulaitis qui prima vice huic Coetui interfuerunt. Deinde Relatorem rogar ut ordinem laborum proponat et quaestiones inde tractandas exponat.

Rev.mus Relator dicit in votis Consultorum substantialem concordantiam notasse circa solutionem quaestionum de forma canonica matrimonii ideoque se opportunum duxisse ex sententiis prolatis schema canonum ap-



parare, quod in sua relatione praebetur. Quare, si Consultoribus placet, iam singulae formulae canonum examinari et simul quaestiones connexae disceptari possunt.

Consultoribus placet ordo laborum propositus a Rev.mo Relatore.

Can. 1094:

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

§ 1. Matrimonia valide contrahuntur tantum assistente paracho, vel loci Ordinario, vel persona (sacerdote vel diacono; ministro sacro) ab alterutro delegata(o) coram duobus (saltem) testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cann. 1096 ter, et 1098.

§ 2. Assistere matrimonio est praesens requirere manifestationem contrahentium consensus eamque percipere (non vi vel metu gravi constrictus).

Rev.mus Relator dicit normam hanc fundamentalem retinendam esse, ut scilicet matrimonium contrahatur assistente paracho vel Ordinario loci sive per se sive per alium ab alterutro delegatum. Etenim finis formae canonicae primarius est ut certo constet publice de celebratione, ne scilicet matrimonia clandestina contrahantur. Unde insimul cautum sit de inquisitione de statu libero contrahentium et de adnotatione in registis paroecialibus.

Haec imprimis pertinent ad Ordinarios locorum sensu generali et immediate ad parochos, qui, vi officii, curam pastorem paroeciae habent.

Plures Consultores concordant cum Relatore ut in Codice ponatur haec norma quae sit veluti principium generale quoad formam canonicam matrimonii, ut nempe potestas ordinaria assistendi matrimonio reservetur personae quae assistat vi officii. Omnes alii, qui assistere possunt ad normam canonum sequentium, habeantur veluti exceptiones a norma ordinaria. Ita Exc.mi primus, secundus et tertius et Rev.mi quartus, quintus, sextus, septimus et octavus Consultores.

Alii Consultores malunt ut tamquam norma generalis habeatur omnia matrimonia esse valida quae contrahuntur coram sacerdote vel diacono et coram testibus. Ita Exc.mi nonus, decimus et undecimus et Ill.mi duodecimus, tertius decimus, quartus decimus et quintus decimus Consultores.

Rev.mus sextus decimus censet normam generalem, prout propositam a Relatore, retineri posse, dummodo initio supprimatur verbum « tantum », ita ut in primo canone appareat quinam assistere possint matrimonio vi muneris et in aliis canonibus appareat quinam assistere possint vi delegationis (a iure vel ab homine).

Rev.mus septimus decimus censet redigi non posse normam fundamentalem quin antea sciatur quinam assistere possint matrimonio et quinam assistere non possint. Prius ergo descendatur ad particulare, quinam scilicet assistere possint iure proprio et quinam iure delegationis et postea redigi potest regula fundamentalis, quae ita comprehendere possit omnia elementa quae non sint exceptiones a regula. Secus apparet contradictio inter propositos canones, ex. gr. cann. 1094 et 1096 ter. In hoc altero canone enim alia norma fundamentalis habetur quae dicit validum esse matrimonium, quod celebratur coram quocumque sacerdote (etsi certis statutis conditionibus), dum in can. 1094 proponitur ut matrimonia valide contrahantur tantum coram paroco vel loci Ordinario.

Etiam Rev.mi tertius decimus et quartus decimus Consultores dicunt in schemate canonum proposito a Rev.mo Relatore normas non multum cohaerere inter se et citant cann. 1094 et 1096 ter. Iidem Consultores notant quod incohaerentia dispareret si tamquam norma fundamentalis poneretur omnia esse valida matrimonia quae celebrantur assistente sacerdote vel diacono et coram duobus testibus.

Rev.mus Relator notat schema canonum redactum esse hac mente: etsi normae multum ampliari debent, ita ut vitentur casus nullitatis ratione formae, normam generalem tamen extare debere, quae respondeat praxi communi, ut scilicet matrimonia generatim celebrentur coram paroco, qui etiam curare debet de praeparatione matrimonii et de eiusdem adnotatione in registis paroecialibus.

Quoad propositionem Rev.mi septimi decimi Consultoris, Rev.mus Relator censet quod non omnia elementa intrare possunt in primam normam fundamentalem, quia aliud est valide et licite assistere matrimonio.

Exc.mus primus Consultor addit rationes pastorales quae militant in favorem normae fundamentalis propositae a Rev.mo Relatore.

Rev.mus octavus Consultor censet quod, ad vitandas difficultates, omitti forsan possit norma fundamentalis. Sufficit ut in variis canonibus numerentur quinam assistere possint matrimoniis.

Rev.mus sextus decimus proponit hanc formulam, quae plura elementa videtur comprehendere iuxta mentem Rev.mi septimi decimi Consultoris: « Matrimonium invalidum est nisi contrahatur assistentibus sacerdote aut diacono, vel persona rite delegata et duobus testibus, secundum normam canonum qui sequuntur ».

Rev.mi Secretarius et Relator dicunt Consultores seligere debere systema in hac materia sequendum: vel tenetur systema traditionale (norma nempe fundamentalis cum variis exceptionibus, sicut in schemate Rev.mi

Relatoris), vel systema novum adhibetur in quo pro norma fundamentali habeatur quod omnes assistere possint matrimonio

Suffragatur utrum placeat retinere systema traditionale necne.
Placet 11; non placet 7.

Deinde examinatur per partes formula proposita a Rev.mo Relatore:

a. « *Matrimonia valide contrahuntur tantum* »

Rev.mus Relator dicit se haec verba adhibuisse, loco verborum Codicis « ea tantum matrimonia valida sunt », quia agitur directe de validitate celebrationis, non de validitate matrimonii. Dari enim potest casus in quo celebratio est valida, dum matrimonium est nullum ex alio capite.

Rev.mus Secretarius praefert verba CIC quae magis determinant validitatem vel invaliditatem *ratione formae*. Canon enim restringitur ad declarandam validitatem tantum ratione formae et praescindit ab aliis capitibus nullitatis, quae forte illud matrimonium afficiunt.

Etiam alii Consultores censent nova verba proposita a Rev.mo Relatore esse aequivoca.

Suffragatur utrum placeant verba Rev.mi Relatoris necne.
Placet 5; non placet 13.

Suffragatur utrum placeant verba « Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur » necne.
Placet 13; non placet 5.

b. « *assistente* »

Rev.mus Relator animadvertit verbum « assistente » intelligendum esse sensu tecnico, prout in § 2 explicatur.

Rev.mi Secretarius et duodecim Consultores dicunt quod per hanc notionem « assistentiae » introducitur distinctio inter assistentiam sensu tecnico, quae est propria testis qualificati, et simplicem praesentiam quae est propria testis ordinarii, dum in CIC nulla fit distinctio. Nonne haec nova notio rigidiores disciplinas inducit?

Rev.mus Relator respondit per hanc notionem « assistentiae » nullam induci variationem in doctrinam. Agitur enim tantum de quaestione quae pertinet ad technicam iuridicam, ut melius videbitur in discussione quoad § 2.

Suffragatur utrum placeat verbum « assistente » necne.
Placet 13; non placet 5.

c. « *Parocho vel loci Ordinario* »

Rev.mus Relator censet praeferendum esse ordinem subsidiariorum, non ordinem dignitatis; ideo proponitur antea parochus et postea Ordinarius loci.

Em.mus Praeses vero praeferret ut primo loco poneretur Ordinarius loci, quia Episcopus est centrum celebrationis eucharisticae et omnia sacramenta ordinantur ad eucharistiam.

Exc.mus tertius Consultor censet hic agi potius de quaestione practica: generatim sunt parochi qui assistunt matrimoniis et ideo melius est ut parochus ponatur primo loco.

Suffragatur utrum placeat « parocho vel loci Ordinario » necne.
Placet 15; non placet 3.

d. « *vel persona ab alterutro delegata* »

Haec verba servanda erunt si approbabitur can. 1096 de assistentibus vi delegationis.

e. « *coram duobus saltem testibus* »

Rev.mus septimus decimus Consultor proponit ut supprimatur verbum « saltem ».

Suffragatur utrum placeant haec verba, dempto verbo « saltem ».
Placet 13; non placet 2; abstinent a sententia ferenda 2.

f. « *secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cann. 1096 ter et 1098* »

Placet 15; non placet 1; placet iuxta modum 1.

Adunatio II^a
die 10 novembris – mane habita

Rev.mus Secretarius quaerit utrum Consultoribus placeat necne relatio laborum decimae Sessionis sive quod attinet ad veritatem sive quod attinet ad integritatem eorum quae referuntur.

Omnes Consultores positive respondent.

Deinde examinatur formulae § 2 can. 1094: «Assistere matrimonio est praesens requirere manifestationem contrahentium consensus eamque percipere, (non vi vel metu gravi constrictus)».

Rev.mus Secretarius animadvertit per hanc § 2 tribui sensum technicum locutioni «assistere matrimonio», quae importat non tantum praesentiam sed etiam manifestationem contrahentium consensus requirere eamque percipere, dum pro testibus sufficit simplex praesentia (*coram* duobus testibus).

Rev.mi duodecimus et octavus Consultores dicunt talem definitionem «assistentiae» esse superfluum imo periculosam, quia aliquid novum addit notioni ordinariae praesentiae in Codice requisitae.

Etiam Rev.mus quartus Consultor non vult hanc § 2 et quaerit ut in § 1 dicatur: «Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur *per consensum manifestatum a nupturientibus* assistente parrocho...etc.».

Rev.mus Relator ita explicat suam mentem: in CIC (can. 1095, § 1, n. 3) expresse dicitur quod parochus et Ordinarius qui assistunt matrimonio debent exquirere et excipere contrahentium consensum; quando agitur de assistente delegato id expresse non dicitur, sed debet intelligi.

In novo Codice semel pro semper dicatur quid importet «assistere matrimonio», et in variis canonibus non amplius necesse erit repetere quod parochus vel delegatus exquirere et excipere debent contrahentium consensum.

Rev.mus duodecimus Consultor animadvertit contra Rev.mum Relatorem quod in can. 1095, § 1, n. 3 non dicitur *in recto* quid «assistere matrimonio» importet, quia finis illius normae est libertatem ministri tutari. Ergo neque in novo Codice necessaria est norma quae directe definiat quid sit assistere matrimonio.

Alii Consultores approbant propositionem Rev.mi Relatoris ut definia-tur quid sit «assistere matrimonio».

Suffragatur utrum placeat dare definitionem assistentiae matrimonio necne.

Placet 13; non placet 3; placet iuxta modum 1.

Modus:

supprimatur § 2 et in § 1 dicatur: «... assistente parrocho vel..., *qui consensum requirant*, coram duobus testibus...» (Rev.mus duodecimus Consultor).

Placet 1; non placet 16.

Deinde fit suffragatio formulae § 2 per partes:

- a. Utrum placeat prima pars his verbis redacta necne: «*Assistere matrimonio est requirere manifestationem contrahentium consensus eamque percipere*»
Placet 7; non placet 3; placet iuxta modum 7.

Modi:

1. dicatur «*Assistere matrimonio est requirere nomine Ecclesiae manifestationem etc...*» (Exc.mus tertius Consultor).

Placet 6; non placet 10; abstinet a sententia ferenda 1.

2. dicatur «*excipere*» loco verbi «*percipere*» (Exc.mus primus et Rev.mus quartus Consultores).

Placet 7; non placet 10.

3. dicatur «*praesens requirere*» (Rev.mus quartus Consultor).

Placet 16; abstinet a sententia ferenda 1.

4. dicatur «*recipere*» loco «*percipere*» (Rev.mus tertius decimus Consultor).

Placet 10; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

- b. Num placeat alia pars formulae: «*non vi vel metu gravi constrictus*»

Exc.mus secundus Consultor proponit ut penitus haec verba supprimantur quia superflua.

Suffragatur utrum placeat suppressere illa verba necne.

Placet 10; non placet 7.

Can. 1095:

Rev.mus Relator proponit hanc formulam:

«*Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt:*

1° a die initi officii, quamdiu valide officio funguntur;

2° intra fines sui territorii; in quo matrimoniis nedum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt»

Rev.mus Relator de hoc canone sequentes adnotationes facit:

1. Videtur sufficiens dicere facultatem assistendi parochi et loci Ordinarii incipere «*a die initi officii*», suppressis verbis CIC «*a die tantum-*

modo adeptae canonicae possessionis beneficii». Etiam si enim figura missionis in possessionem beneficii remaneret, equidem illa verba supprimi possent quia tandem aliquando officium incipit a die adeptae canonicae possessionis.

2. Item sufficiens videtur dicere «quamdiu valide officio funguntur», loco verborum Codicis «nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati». Mens enim huius clausulae est quod validum exercitium facultatis assistendi dependet a valido exercitio officii.

Rev.mus quartus decimus Consultor proponit ut prima pars canonis ita mutetur: «Parochus et loci Ordinarius *vi officii* valide matrimonio assistunt...». Mens enim huius Coetus est ut in alio canone declaretur validum omne matrimonium contractum assistente aliquo sacerdote, certis sub datis conditionibus. En ratio additionis verborum «*vi officii*» ut nempe canon praesens coordinetur cum illo canone.

Exc.mus primus Consultor, ob eandem rationem, proponit additionem verborum «iure proprio».

Suffragatur utrum placeat propositio Rev.mi quarti decimi Consultoris necne.

Placet 12; non placet 3; placet iuxta modum 1; abstinet a sententia ferenda 1.

Modus.

dicatur «*vi muneris*» loco «*vi officii*».

Rev.mus Secretarius censet hunc modum admitti posse quia duae locutiones idem dicunt. Quaestio potius solvenda est ex ratione stili.

Deinde quaeruntur suffragia circa alias partes canonis:

a. «*A die initi officii, quandiu valide officio funguntur*»:

Rev.mus Secretarius dicit hanc normam, modo generico redactam, cohaerere cum novo iure poenali.

Exc.mus primus Consultor censet hanc normam esse obviam et ideo supprimi posse.

Exc.mus secundus et Rev.mus duodecimus Consultores vellent verbum «legitime» loco «valide».

Suffragatur utrum placeant verba « a die initi officii » necne.
Omnibus placet.

Suffragatur utrum placeant verba « quandiu valide officio funguntur » necne.

Placet 16; abstinet a sententia ferenda 1.

b. « *Intra fines sui territorii, in quo matrimonium nedum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt* »

In hac formula omissum est verbum « dumtaxat » quod erat in formula CIC et ideo suffragatur utrum placeat suppressio illius verbi necne. Omnes Consultores positive respondent.

Rev.mus septimus decimus Consultor proponit hanc mutationem: « intra limites territorii *sibi* commissi... », ut includantur, dicit ipse, casus in ambitu territorii dioecesis commissae administratori apostolico vel paroeciae commissae parochi viciniori.

Propositio Rev.mi septimi decimi Consultoris non placet.

Adunatio III^a die 10 novembris – vespere habita

Proponitur ut can. 1096 iam approbatus, ita melius redigatur, ad vitandas repetitiones verborum « valide assistunt »: « Parochus et loci Ordinarius vi officii valide matrimoniis nedum subditorum, sed etiam non subditorum assistunt, intra fines sui territorii, a die initi officii, quamdiu valide officio funguntur ».

Placet 10; non placet 1.

Rev.mus tertius decimus Consultor animadvertit quod can. 1095 nunc approbatus solummodo parochos territoriales respicit. Quoad parochos personales lacuna existit, quae expleri debet ut appareat quibus limitibus parochi personales matrimoniis assistere possint. Aliter ac parochi territoriales, parochi personales, vi officii, matrimonio tantum subditorum assistere possunt. Sed duae species parochorum personalium distinguendae sunt: una species comprehendit illos quorum iurisdictio sine ulla limitatione territoriali ad personas spectat (ex. gr. capellani militum); altera species complectitur illos parochos cuius iurisdictio quidem ad personas spectat, sed tantum intra fines territorii determinati (ex. gr. paroeciae nationales).

Ad lacunam explendam, Rev.mus tertius decimus Consultor proponit hanc formulam (can. 1095 bis): « Parochus personalis vi officii matrimonio solummodo eorum, quorum alteruter sibi subditus sit, valide assistit et quidem:

1° si parochi iurisdictio sine ulla limitatione territoriali circumscribitur, ubique terrarum;

2° si parochi iurisdictio territorio determinata est, intra fines tantum sui territorii ».

Rev.mus Secretarius censet propositionem Rev.mi tertii decimi Consultoris praetermitti posse quia nunc agitur de iure communiore, secundum quod paroeciae constituuntur ratione territorii.

Si Coetus competens aliquid statuerit de paroeciis personalibus, modo ordinario constituendis, tunc merito propositio Rev.mi tertii decimi Consultoris examinanda erit.

Can. 1096:

Rev.mus Relator hanc formulam proponit:

§ 1. Parochus et loci Ordinarius, qui matrimoniis vi officii assistere possunt, possunt facultatem intra fines sui territorii matrimoniis assistendi, etiam generalem, delegare sacerdotibus et diaconis, necnon iuxta normas a Conferentiis Episcoporum statuendas (ubi Conferentiae Episcoporum opportunum visum fuerit et iuxta normas ab eadem datas) clericis minoribus et laicis debite de hoc munere instructis.

§ 2. Delegatio facultatis assistendi matrimoniis, ut valida sit, determinatis personis expresse dari debet.

Discussio fit de § 1 per partes.

a. « *Parochus et loci Ordinarius, qui matrimoniis vi officii assistere possunt* »

Relator dicit verba « vi officii » praeferenda esse loco verbi « valide » (CIC can. 1095, § 2); nam parochus et Ordinarius loci etiam vi delegationis valide matrimonio assistere possunt, sed non hoc titulo delegationem huius paragraphi dare.

Exc.mus primus Consultor proponit: « ...qui matrimonio vi officii *valide* assistere possunt ».

Placet 3; non placet 9

Exc.mus tertius Consultor vero proponit: «Parochus et loci Ordinarius, quamdiu valide officio funguntur, possunt etc. ».

Placet 9; non placet 3.

b. «*possunt facultatem intra fines sui territorii matrimoniis assistendi delegare*»

Placet 9; non placet 1; abstinet a sententia ferenda 1.

c. «*sacerdotibus et diaconis, necnon iuxta normas a Conferentias Episcoporum statuendas clericis minoribus et laicis debite de hoc munere instructis*»

Quod facultas delegari possit sacerdotibus et diaconis (sive diaconis permanentibus sive transeuntibus) omnes Consultores admittunt. Quod autem haec facultas delegari possit clericis minoribus et laicis, plures Consultores censent hoc non esse necessarium neque opportunum.

Rev.mus septimus decimus Consultor censet propositionem delegandi facultatem etiam clericis minoribus et laicis acceptari posse, cum limitibus positis a Rev.mo Relatore ut nempe Conferentia Episcopalis id opportunum censeat, ut ipsa normas edat et ut clerici minores et laici debite de hoc munere instruantur. Cum his limitibus propositio acceptari potest, quia valde convenit cum necessitatibus quarundam regionum.

Rev.mus tertius decimus Consultor censet quod peculiaribus necessitatibus quarundam regionum satis providebitur partim per formam extraordinariam et partim per indulta S. Sedis quibus etiam laicis facultas assistendi matrimoniis delegari possit.

Suffragatur utrum placeat ponere normam qua facultas assistendi matrimoniis delegari possit etiam personis quae non sint sacerdotes vel diaconi necne:

Non placet 9; abstinet a sententia ferenda 2.

Adunatio IV^a die 11 novembris – mane habita

Consultores prosequuntur discussionem circa formulam canonis 1096, § 1. Quaeritur utrum placeat necne dare possibilitatem concedendi delegationem generalem assistendi matrimoniis, et ideo utrum placeat necne retinere, in formula proposita a Relatore, verba «*etiam generalem*».

Fere omnes Consultores favent huic propositioni; aliqui vero vellent aliquam limitationem ex. gr. ut talis delegatio generali detur tantum sacerdotibus et diaconis addictis stabiliter paroeciae (Rev.mus tertius decimus

Consultor), vel detur tantum determinatis personis cum onere petendi licentiam ad singulos casus (Rev.mus sextus Consultor), vel ut delegatio sit *scripto* data (Rev.mus quartus Consultor).

Suffragatur num placeat retinere verba «etiam generalem».
Placet 15; non placet 1; placet iuxta modum 1.

Modus:

dummodo facultas generalis sit data determinatis personis et cum onere petendi licentiam ad assistendum (Rev.mus sextus Consultor):
Placet 2; non placet 15.

Discussio fit de § 2 canonis 1096: «*Delegatio facultatis assistendi matrimoniis, ut valida sit, determinatis personis expresse dari debet*».

Suffragatur utrum placeat haec formula Rev.mi Relatoris necne:
Placet 8; abstinet a sententia ferenda 1; placet iuxta modum 8.

Modi:

1. dicatur: «Delegatio, *etiam generalis* facultatis assistendi...» (Exc.mus nonus Consultor et Rev.mus duodecimus Consultor).

Placet 6; non placet 11.

2. dicatur: «Quaecumque delegatio assistendi matrimoniis...» (Exc.mus primus Consultor).

Placet 6; non placet 11.

3. dicatur: «Delegatio tum specialis tum generalis facultatis assistendi matrimoniis...» (Exc.mus undecimus Consultor).

Placet 6; non placet 11.

4. dicatur: «*scripto*» loco «*expresse*» (Rev.mus quartus Consultor).

Circa hunc modum habetur brevis discussio et deinde Relator petit suffragia quoad haec puncta:

a. utrum placeat suppressere verbum «*expresse*» necne.

Placet 3; non placet 14;

b. utrum placeat haec mutatio formulae necne: «Delegatio...determinatis personis *expresse*, imo si de delegatione generali agitur, *scripto* dari debet».

Placet 9; non placet 6; abstinere a sententia ferenda 2.

c. utrum etiam delegatio specialis danda sit scripto ad liceitatem necne
Placet 1; non placet 15; abstinere a sententia ferenda 1;

d. utrum delegatio specialis danda sit scripto ad liceitatem
Placet 6; non placet 11.

Suffragatis modis, denuo fit suffragatio formulae quae ita sonat « Delegatio facultatis assistendi matrimoniis ut valida sit, determinatis personis expresse, immo si de delegatione generali agitur, scripto dari debet »:

Placet omnibus

Can. 1096 bis:

« Facultate delegata matrimoniis assistendi uti quis licite nequit nisi parochus vel Ordinarius loci matrimonii pro singulis casibus licentiam dederit, quae concedenda non est nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda ».

Rev. mus tertius decimus Consultor animadvertit quod in hoc schemate canonis duae quaestiones proponuntur:

1. quando parochus vel loci Ordinarius licite delegare possit;
2. quando delegatus licite uti possit facultate assistendi matrimoniis.

Iamvero de altera quaestione agi debet in can. 1097; de priore vero quaestione nunc agi debet et relativa norma ita redigi potest: « Delegatio specialis concedenda non est nisi postquam provisum sit de omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda ».

Rev. mus quartus decimus Consultor animadvertit quod in formula Rev. mi Relatoris sermo erat de danda licentia, dum in formula Rev. mi tertii decimi Consultoris sermo est de delegatione speciali.

Rev. mi tertius decimus et septimus decimus Consultores respondent delegationem specialem comprehendere simul licentiam utendi facultate.

Suffragatur utrum placeat necne norma proposita a Rev. mo tertio decimo Consultore.

Placet 11; non placet 6.

De loco huius normae duae habentur propositiones:

1. Rev.mus tertius decimus Consultor proponit ut ponatur tamquam § 3 can. 1096.

Placet 6; non placet 10; abstinere a sententia ferenda 1.

2. Rev.mus Relator proponit ut ponatur tamquam canon distinctus qui sit can. 1096 bis.

Placet 8; non placet 5; abstinere a sententia ferenda 4.

Deinde suffragatur utrum placeat remittere ad can. 1097 necne quaestionem de conditionibus liciti usus facultatis delegatae assistendi matrimoniis:

Placet 13; abstinere a sententia ferenda 4.

Rev.mus Relator quaerit quid censeant Consultores num introducendus sit canon quo concedatur Episcopis, communionem cum Sede Apostolica habentibus, facultas matrimoniis valide assistendi ubique terrarum.

Ipse Relator notat quod parochi et Ordinarii locorum facultatem assistendi et delegandi non propter dignitatem, sed ratione officii habent. Systema CIC tantummodo intendit securitatem inquisitionis de statu libero, publicae celebrationis matrimonii et registrationis, quae omnia non congruunt cum facultate data Episcopis assistendi matrimoniis ubique terrarum.

Exc.mus primus Consultor favet huic propositioni quia agitur de facultate quam Episcopi habent non ratione dignitatis, sed ratione sui muneris et ratione collegialitatis Episcoporum. Ceterum norma praevidere deberet condiciones ad licitum usum huius facultatis.

Exc.mus secundus Consultor concordat cum Exc.mo primo Consultore circa naturam huius facultatis quae esset ratione muneris episcopalis et non ratione dignitatis. Attamen non vult talem facultatem concedere Episcopis. Verum est quod in Concilio Vaticano II data est Episcopis facultas audiendi confessiones ubique terrarum, sed confessio pertinet ad forum internum, dum celebratio matrimonii pertinet ad *forum externum*.

Exc.mus decimus Consultor et Rev.mus quintus Consultor dicunt contra talem facultatem obstare rationem practicam, quia si daretur haec facultas, plures fideles vellent ut suo matrimonio assisteret Episcopus, ratione maioris pompae.

Exc.mus tertius Consultor censet talem facultatem dari posse, sed tantum in ambitu territorii Conferentiae cui Episcopi adscripti sunt.

Exc.mus secundus Consultor instat non esse necessariam novam normam statuere, quia Episcopi, in ambitu Conferentiae episcopalis possunt sibi invicem delegationem generalem dare, vi can. 1096.

Rev.mus duodecimus Consultor addit quod si probetur canon sequens, prout propositus a Rev.mo Relatore, iam Episcopi, sicuti et alii sacerdotes, possunt valide ubique terrarum assistere matrimoniis, salvis normis de licetate talis assistentiae.

Adunatio V^a
die 11 novembris – vespere habita

Resumitur quaestio num placeat introducere normam qua Episcopi ubique terrarum matrimoniis valide assistere possunt et post brevem discussionem fit suffragatio, cuius exitus hic est:

Placet 1; non placet 8; placet iuxta modum 1.

Can. 1096 ter:

« Valet matrimonii contractus assistente sacerdote (vel diacono) qui delegatione caret, dummodo matrimonium celebratur (ritu sacro) in ecclesia vel oratorio publico et assistens ab auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus ne matrimonio assistat ».

Circa hunc novum canonem sequentes quaestiones habentur:

a. Utrum introducenda sit validitas assistentiae sine delegatione necne.

Rev.mus Secretarius meminit labores Commissionis praeparatoriae Concilii Vat. II circa hanc quaestionem. Patres admiserunt propositionem huius canonis ad vitanda scandala et admirationes ob declarationes nullitatis ratione assistentiae sacerdotis non delegati. Ne autem per novam legem inducerentur abusus matrimonii clandestini, iidem Patres posuerunt conditiones ut illa matrimonia celebrarentur in ecclesia et cum ritu sacro.

Exc.mus secundus Consultor censet novum institutum propositum in novo canone esse mirum et insolitum, quod multis abusibus ansam dare potest, quodque superfluum redderet institutum delegationis generalis iam in praecedenti canone admissum.

Plures Consultores favent introductioni huius novi instituti sequentibus de causis:

1. abusus vitari possunt per conditiones quae in formula canonis prostant (Rev.mus quintus Consultor);

2. per hunc canonem plures nullitates vitantur, etiam illae quae provenire possunt ex inobservantiam conditionum requisitarum pro delegatione

speciali vel generali. Quare hic canon esset veluti sanatio nullitatum provenientium ex inobservantia aliorum canonum de delegatione (Rev.mus sextus Consultor);

3. per hunc canonem haberetur bonum sacramenti inde ab initio, dum alia remedia (convalidatio et sanatio in radice) id non obtinent nisi a momento convalidationis vel sanationis (Exc.mus tertius Consultor).

Rev.mus tertius decimus Consultor item favet huic propositioni, attamen censet rem concipi debere per viam sanationis ex parte Ecclesiae, quia si conciperetur per viam delegationis a iure, haberetur inconveniens quod quis talem facultatem subdelegare posset.

Rev.mus Secretarius negat possibilitatem talis subdelegationis, quia, in casu, facultas daretur a iure tantum in actu quo quis huic matrimonio assisteret.

Rev.mus Relator notat quod maior pars Consultorum favent huic propositioni, attamen ipse, attentis suggestionibus Rev.morum sexti et tertii decimi Consultorum, vult formulam ampliorem proponere, id est: « Matrimonium contractus assistente sacerdote vel diacono, facultate assistendi carente, Ecclesia a momento celebrationis in radice sanat, dummodo contrahentes rationabiliter putant sacerdotem vel diaconum idoneum esse ad matrimonio assistendum ».

Plures Consultores assensum praebeant huic novissimae propositioni, quae procedit per viam sanationis, attamen ipsi petunt ut conditiones non sint ordinis subiectivi (dummodo contrahentes putant...), sed obiectivi ut in formula praecedenti (Exc.mus tertius Consultor et Rev.mi quintus, tertius decimus et quartus decimus Consultores).

Rev.mus septimus decimus Consultor integram formulam approbat, etiam quoad conditiones ordinis subiectivi, quia casus qui plerumque accidunt sunt illi in quibus bona fide se habent sive contrahentes sive assistens. Forsitan in formula loqui posset etiam de necessitate bonae fidei in illo qui assistit. Illi qui postea accusare vellent matrimonium quia « non putabant » sacerdotem esse idoneum, deberent hoc demonstrare, quod nimis difficile evaderet.

Rev.mus quartus decimus Consultor, contra Rev.mum septimum decimum Consultorem, dicit quod sanatio, de qua in praesenti canone, subordinari debet conditionibus certo existentibus, non conditionibus praesumptive existentibus.

Exc.mus primus Consultor item praefert conditiones obiectivas, attamen ipse notat aliquam contradictionem in eo quod in formula sermo sit de « sanatione in radice ». Sanatio enim supponit quandam retroactionem,

dum in casu nostro habetur simultanea suppletio delegationis ex parte iuris, ita ut matrimonium sit validum inde ab initio.

Exc.mus nonus Consultor, contra Exc.mum primum Consultorem, dicit quod sanatio de qua in canone etsi non est posterior tempore, est *natura* posterior, ideoque conceptus sanationis in casu sustineri potest sine contradictione.

Ceterum, dicit Rev.mus septimus decimus Consultor, non omnes modalitates instituti sanationis in radice, prout est in CIC, applicari debent huic novo casui, sed tantum quod pertinet ad essentiam sanationis in radice applicari debet.

His dictis, sequentes habentur suffragationes:

1. Utrum casus validitatis assistentiae sine delegatione per viam sanationis agendi sint necne.

Placet 8; non placet 2.

2. Utrum placeat necne ulteriorem discussionem huius quaestionis remittere ad caput de sanatione.

Placet 1; non placet 8.

3. Num placeat conditio: « dummodo matrimonium celebretur in ecclesia vel oratorio publico ».

Placet 6; non placet 2: abstinet a sententia ferenda 2.

4. Num placeat conditio: « dummodo matrimonium celebretur ritu sacro ».

Non placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

5. Num placeat conditio: « dummodo assistens ab auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus ne matrimonio assistat ».

Placet 9; non placet 1.

6. Num placeat conditio: « dummodo contrahentes sint bona fide ».

Placet 3; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

Post has suffragationes legitur formula novi canonis quae erit sequens: « Matrimonium contractum assistente sacerdote vel diacono, facultate assistendi carente, Ecclesia a momento celebrationis in radice sanat, dummo-

do matrimonium celebretur in Ecclesia vel oratorio publico et assistens ab auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus ne matrimonium assistat ».

De loco huius canonis suffragatur utrum placeat illum ponere in capite de sanatione necne:

Placet 4; non placet 5: abstinet a sententia ferenda 1.

Ergo canon poni debet in capite de forma canonica.

**Adunatio VI^a
die 12 novembris – mane habita**

Can. 1097:

« Assistens matrimonio illicite agit nisi:

1° parochus vel Ordinarius loci matrimonii pro singulis casibus licentiam dederit si assistens agit vi delegationis generalis;

2° constituto sibi legitime de libero statu contrahentium;

3° constituto sibi de domicilio vel quasi domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii; aut habita licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi domicilii aut menstruae commorationis aut, si de vago agatur, actualis commorationis alterutrius contrahentis, nisi de vago res sit qui nullibi sedem commorationis habet, vel nisi gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset ».

Examinantur singuli numeri huius canonis.

a. Circa 1° sequentes propositiones habentur:

1. Rev.mus quartus Consultor censet hunc numerum esse superfluum quia qui dat delegationem generalem eo ipso et licentiam generalem dat; ad summum dici posset quod licentia requiritur secundum normas iuris particularis.

2. Exc.mus primus Consultor vult ut supprimantur verba « pro singulis casibus », vel saltem ut exceptio fiat pro vicariis cooperatoribus, quibus parochus licentiam generalem simul cum delegatione generali dare possit:

3. Rev.mus Relator et Rev.mus quintus Consultor petunt ut servantur verba « pro singulis casibus » et exceptio fiat pro vicariis cooperatoribus addendo verba: « nisi agatur de vicariis cooperatoribus ».

4. Exc.mus secundus Consultor et Rev.mus tertius decimus Consultor volunt ut nulla fiat exceptio.

5. Rev.mus sextus Consultor petit ut omittantur verba «pro singulis casibus».

6. Exc.mus tertius Consultor proponit ut 1° ita mutetur: «nisi parochus vel Ordinarius loci matrimonii licentiam generalem vel specialem dederit si assistens agit vi delegationis generalis».

Suffragatur utrum placeat suppressere necne verba «pro singulis casibus» in formula Rev.mi Relatoris.

Placet 13; placet iuxta modum 4.

Modus.

suppressantur illa verba et dicatur: «...*licentiam generalem vel specialem dederit...*».

Placet 4; non placet 13.

Rev.mus Relator in mentem revocat can. 1096 bis, nuper approbatum, qui dicit: «Delegatio specialis concedenda non est nisi postquam provisum sit de omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda», et animadvertit quod etiam qui dat licentiam assistenti delegatione generali munito, talem licentiam non debet dare nisi postquam provisum sit de omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

Rev.mus septimus decimus Consultor notat hoc esse possibile tantum si licentia daretur in singulis casibus; sed si, praeter delegationem generalem, etiam licentia generalis assistendi dari posset, quomodo haec licentia generalis componi potest cum obligationes *prius* providendi de omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda?

Exc.mus primus Consultor censet can. 1096 bis suppressi posse, cum iam in can. 1019, § 1 dictum sit quod «antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere».

Suffragatur utrum placeat suppressere can. 1096 bis necne.

Placet 5; non placet 12.

Tunc Exc.mus primus Consultor proponit ut can. 1096 bis ita mutetur: «Nemo potest delegationem concedere nisi sive per se sive per alium constet de libertate status contrahentium».

Rev.mus Secretarius suspendit discussionem circa can. 1097, 1° et illam remittit ad proximam Sessionem.

b. Suffragatur utrum placeat can. 1097, 2° (« nisi constituto sibi legitime de libero statu contrahentium ») necne.

Placet 14; placet iuxta modum 2.

Modus:

supprimatur verbum « legitime » et dicatur: « constituto sibi de libero statu contrahentium ad normam iuris ».

Placet 12; non placet 2; abstinere a sententia ferenda 3.

**Adunatio VII^a
die 13 novembris – mane habita**

c. Circa can. 1097, 3° (« Constituto sibi de domicilio vel quasi domicilio... »):

Rev.mus duodecimus Consultor censet normas huius n. 3 (quae resumunt normas c. 1097 §§ 2-3 CIC) congruenter et opportune positas fuisse in CIC, quia Codex statuit matrimonium celebrandum esse coram parcho. Nunc autem cum iam possibilitatem delegationis generalis statuerimus, non videtur congruum ut assistenti matrimonio imponantur tot res investigandae de domicilio, quasi-domicilio, etc... Sufficit norma n. 2 ut nempe assistenti constet de libero statu contrahentium ad normam iuris.

Exc.mus secundus Consultor consentit cum Rev.mo duodecimo Consultore.

Exc.mus tertius Consultor censet antea solvendas esse quaestiones de can. 1097, 1° et de can. 1096 bis (nuper sepositas) et postea statui poterit num hic 3° supprimi possit.

Rev.mus Relator censet quod saltem aliquod elementum huius 3° servandum est, ut nempe dicatur documentum de statu libero curandum esse a Parcho domicilii vel quasi domicilii contrahentium.

Rev.mus quartus decimus Consultor dicit quod ex cann. 1029 et 1032 iam sufficienter apparet cui competat investigare de statu libero et praeterea per can. 1020 facultas data est Conferentiis Episcoporum ut statuunt normas peculiares, quod attinet ad investigationes faciendas, de examine sponsorum, publicationibus matrimonialibus etc. Ergo can. 1097, 3° penitus supprimi potest. Rev.mus sextus Consultor consentit cum Rev.mo quarto decimo Consultore.

Rev.mi septimus decimus et tertius decimus Consultores negant quod in cann. 1029 et 1032 clare indicetur ubi et a quo investigationes matrimoniales fieri debeant.

Quoad can. 1020 Rev.mus septimus decimus Consultor censeat ibi facultatem dari Conferentiis Episcoporum ut determinent de modo faciendi investigationes, non de subiecto cui competat illas peragere.

Rev.mus quartus Consultor proponit ut tota materia can. 1097, 3° relinquatur iuri particulari.

Suffragatur utrum placeat remittere hanc rem ad ius particulare necne.
Placet 3; non placet 12; placet iuxta modum 1.

Modus:

Placet dummodo tota materia delegationis ad assistendum matrimonio relinquatur iuri particulari (Rev.mus duodecimus Consultor).

Rev.mi quintus et septimus decimus Consultores instant ut 3° supprimatur et fiat novus canon, qui sit can. 1028 bis, ad determinandum quinam sit parochus proprius in ordine ad matrimonium.

Rev.mus Relator proponit hanc formulam can. 1028 bis: « Officium parochi proprii est investigationes peragere de statu libero contrahentium. Parochus autem proprius hic intelligitur etiam ille in cuius paroecia alteruter contrahens habet menstruam commorationem, aut si de vagis agatur, actuale commorationem ».

Exc.mus secundus Consultor non approbat extensionem notionis parochi proprii prout in formula Rev.mi Relatoris. Hic canon deberet tantum indicare quinam sint illi quibus incumbit onus perficiendi investigationes.

Exc.mus primus Consultor negat necessitatem novi canonis 1028 bis; sufficit ut Conferentiae Episcoporum vi can. 1020 determinare possint cuinam competat investigationes peragere.

Suffragatur utrum placeat necne remittere ad Conferentias Episcoporum ut statuant cuius est investigare circa libertatem status.

Placet 8; non placet 7.

Manet quaestio num determinandus sit locus in quo matrimonium celebrandum sit.

Rev.mus septimus decimus Consultor censeat in hac re libertatem contrahentium dandam esse.

Exc.mi primus et secundus Consultores et Rev.mi sextus et tertius decimus Consultores petunt ut contrahentibus detur obligatio celebrandi matrimonium in propria paroecia.

Exc.mus tertius Consultor vult viam mediam, ut nempe generatim eligatur parochus proprius, nisi rationabilis causa excuset.

Rev.mus Relator hanc formulam proponit: «Optandum est ut matrimonium celebretur in paroecia ubi alteruter contrahens habet domicilium vel quasi domicilium vel menstruam commorationem; alibi ne celebretur sine licentia parochi huius paroeciae, nisi iusta causa a licentia petenda excuset».

Placet 7; placet iuxta modum 8.

Modi:

1. dicatur: «gravi causa» loco «iusta causa» (Exc.mus primus Consultor).

Placet 2; non placet 12; abstinere a sententia ferenda 1.

2. secunda pars canonis his tantum verbis redigatur: «alibi celebrari potest si adsit iusta causa» (Exc.mus tertius Consultor).

Placet 5; non placet 8; abstinere a sententia ferenda 2.

3. dicatur «alterutra pars contrahentium» loco «alteruter contrahens».

Placet 8; non placet 5; abstinere a sententia ferenda 2.

4. dicatur «pro regula habeatur» loco «optandum est».

Placet 1; non placet 13; abstinere a sententia ferenda 1.

5. dicatur «Matrimonia celebrentur in paroecia...» loco «optandum est ut matrimonium celebretur in paroecia...».

Placet 8; non placet 5; abstinere a sententia ferenda 2.

6. secunda pars canonis his verbis redigatur: «alibi celebrari potest sine parochi licentia si adsit iusta causa».

Placet 5; non placet 8; abstinere a sententia ferenda 1.

7. dicatur «parochi huius loci» loco «parochi huius paroeciae»:

Omnibus placet.

Rev.mus Relator tandem proponit ut canon ita compleatur: «Matrimonium autem vagorum qui nec menstruam commorationem habent celebretur potius in paroecia ubi actualement habent commorationem».

Placet 12; placet iuxta modum 2.

Modi:

1. supprimatur verbum «potius».

Placet 7; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

2. dicatur «ubi actu commorantur» loco «ubi actualement habent commorationem».

Placet omnibus.

Adunatio VIII^a

die 13 novembris – vespere habita

Can. 1098 (forma extraordinaria):

«§ 1. Si haberi (vel adiri) nequeat (sine gravi incommodo) assistens ad normam cann. 1095, 1096, in mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum (forma lege civili praescripta, vel, si haec adhiberi nequeat) coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam, et forma ordinaria celebrationis non in fraudem iuris negligatur.

§ 2. In utroque casu, si praesto sit (alius) sacerdos (vel diaconus) (qui adesse possit), vocari et, una cum testibus, matrimonii celebrationi adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus).

Rev.mus Relator quaerit quid censeant Consultores de § 1.

Rev.mus Secretarius, Exc.mus secundus Consultor et Rev.mi duodecimus et quartus decimus Consultores proponunt ut duo casus scilicet in mortis periculo et extra mortis periculum tractentur distincte ita ut pro unoquoque casu habeatur paragraphus distincta.

Suffragatur utrum placeat haec propositio necne.

Placet 9; non placet 6.

1. *Forma extraordinaria in periculo mortis*

Rev.mus Relator quaerit num in formula pro casu formae extraordinariae in mortis periculo, retineri debeant duo conditiones «si adiri nequeat»

et « sine gravi incommodo » et praeterea num admitti possit, tamquam forma extraordinaria canonica, « forma lege civili praescripta ».

a. Utrum placeat suppressere « vel adiri » necne

Rev.mus sextus Consultor dicit locutionem « Si haberi *vel adiri* nequeat » esse in usu communi. Forsitan alia locutio adhiberi posset, ex. gr. « si praesto non sit assistens ».

Rev.mus septimus decimus Consultor proponit « Si vocari non potest assistens etc... ».

Suffragatur utrum placeat suppressere verba « vel adiri » necne.

Placet 12; non placet 2; abstinet a sententia ferenda 1.

b. Utrum placeat suppressere « sine gravi incommodo » necne

Placet 4; non placet 11.

c. Utrum placeat retinere verba: « ... (validum est matrimonium contractum) *forma lege civili praescripta* »

Placet 1; non placet 14.

His suffragationibus peractis, Rev.mus Relator proponit hanc formulam § 1: « In mortis periculo si haberi nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cann. 1095, 1096, matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus ».

Placet 14; placet iuxta modum 1.

Modus:

dicatur « si haberi nequeat sine gravi incommodo qui valide assistat ad normam... » (Rev.mus sextus Consultor).

Post hunc modum habetur aliqua discussio et deinde denuo suffragatur formula prout proposita a Rev.mo Relatore:

Placet 9; non placet 6.

2. *Forma extraordinaria extra periculum mortis*

Rev.mus Relator proponit hanc formulam § 2: « Extra mortis periculum si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cann. 1095, 1096, matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus, dummodo: 1...; 2... ».

Placet 11; placet iuxta modum 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Modi:

1. dicatur «...sine gravi incommodo, *sive partibus sive assistenti sive tertiae personae imminenti*, assistens...».

Placet 5; non placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

2. dicatur «... sine gravi incommodo sive pro contrahentibus sive pro assistentibus...».

Placet 7; non placet 8.

3. supprimantur verba «vel adiri».

Placet 6; non placet 8; abstinet a sententia ferenda 1.

Deinde, post brevem discussionem circa conditiones in hoc canone ponendas, Rev.mus Relator sequentes formulas proponit:

a. *prima conditio*: «dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam».

Placet 14; abstinet a sententia ferenda 1.

Adunatio IX^a

die 14 novembris – mane habita

Rev.mus Relator proponit alias conditiones in can. 1098, § 2 ponendas:

b. *secunda conditio*: «dummodo forma ordinaria celebrationis non in fraudem iuris omittatur».

Placet 3; non placet 9; placet iuxta modum 1.

Modus:

dicatur «dummodo ex circumstantiis eluceat formam ordinariam celebrationis non in fraudem iuris omissam esse».

Placet 3; non placet 13.

Exc.mus primus Consultor notat quod formula huius secundae conditionis reiecta est quia perdifficile esset probare in casu concreto quando forma celebrationis in fraudem legis omissa sit. Formula vero acceptari forsitan poterit si ita compleatur: «...et recursus ad loci Ordinarium, si fieri

possit, omissus non sit». Ex tali recursu enim clarius appareret utrum contrahentes in fraudem legis forma extraordinaria usi sint necne

Suffragatur utrum placeat propositio Exc.mi primi Consultoris necne.
Placet 2; non placet 12; abstinet a sententia ferenda 1.

Rev.mus Relator proponit aliam formulam secundae conditionis: «dummodo recursus, si fieri possit, ad loci Ordinarium omissus non fuerit».

Placet 7; non placet 5; placet iuxta modum 3.

Modus:

addantur haec verba «...et matrimonium non celebretur nisi post mensem ab interposito recursu sine responsione».

Placet 7; non placet 8.

Deinde legitur et suffragatur integra formula quae ita sonat: «Extra mortis periculum si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cann. 1095, 1096 matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus, dummodo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam et recursus, si fieri possit, ad Ordinarium omissus non fuerit».

Placet 3; non placet 12.

Rev.mus Relator quaerit quid censeant Consultores de § 3: «In utroque casu, si praesto sit (alius) sacerdos (vel diaconus) (qui adesse possit), vocari et, una cum testibus, matrimonii celebrationi adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus».

Suffragatur utrum placeat formula quoad substantiam necne.

Placet 13; non placet 2.

Deinde fit suffragatio de verbis intra uncus positus.

1. Utrum placeat suppressere verbum «alius» necne.

Placet 5; non placet 10.

2. Utrum placeat suppressere verba «vel diaconus» necne.

Non placet omnibus.

Proponitur ut fiat mentio hic agi de diaconis de quibus in can. 1096, sed propositio duobus tantum Consultoribus placet.

3. Utrum placeat suppressere verba « qui adesse possit ».
Placet 6; non placet 9.

Rev.mus tertius decimus Consultor proponit ut tali sacerdoti vel diacono detur obligatio ut praesens sit. Sed propositio non placet.

Praeterea proponitur ut dicatur « assistere debet » loco « adesse debet ».
Placet 4; non placet 11.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut redigatur § 4 in qua dicatur pertinere ad Conferentiam episcopalem statuere normas circa modum celebrandi matrimonia de quibus in §§ 1 et 2.

Suffragatur propositio haec.
Placet 4; non placet 10; abstinet a sententia ferenda 1.

APPENDIX

CANONES APPROBATI

Can. 1094

§ 1. Ea tantum matrimonia sunt quae contrahuntur assistente parcho vel loci Ordinario vel persona ab alterutro delegata coram duobus testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in cann. 1096 ter, 1098 et 1099.

§ 2. Assistere matrimonio est praesens requirere manifestationem contrahentium consensus eamque recipere.

Can. 1095

Parochus et loci Ordinarius vi officii valide matrimoniis nedum subditorum, sed etiam non subditorum assistunt, intra fines sui territorii, a die initi officii, quandiu valide officio funguntur.

Can. 1096

§ 1. Parochus et loci Ordinarius, quandiu valide officio funguntur, possunt facultatem intra fines sui territorii matrimoniis assistendi, etiam generalem, delegare sacerdotibus et diaconis.

§ 2. Delegatio facultatis assistendi matrimoniis ut valida sit determinatis personis expresse, imo si de delegatione generali agitur, scripto dari debet.

Can. 1096 bis

Delegatio specialis concedenda non est nisi postquam provisum sit de omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda.

Can. 1096 ter

Matrimonium contractum assistente sacerdote vel diacono, facultate assistendi carente, Ecclesia a momento celebrationis in radice sanat, dummodo matrimonium celebretur in ecclesia vel oratorio publico et assistens ab auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus ne matrimonio assistat.

Can. 1097

Assistens matrimonio illicite agit nisi:

1°

2° constito sibi de libero statu contrahentium ad normam iuris.

Can. 1097 bis

Matrimonia celebrentur in paroecia ubi alterutra pars contrahentium habet domicilium vel quasi domicilium vel menstruam commorationem; alibi celebrari potest cum licentia parochi huius loci si adsit iusta causa. Matrimonium autem vagorum qui nec menstruam commorationem habent celebretur in paroecia ubi actu commorantur.

Can. 1098

§ 1. In mortis periculo si haberi nequeat sine gravi incommodo assistens ad normam cann. 1095, 1096, matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus.

§ 2.

§ 3. In utroque casu si praesto sit alius sacerdos vel diaconus qui adesse possit, vocari et una cum testibus, matrimonii celebrationi adesse debet, salva coniugii validitate coram solis testibus.

